

Q.K. 358, 21.

X 186 2238

II h
1151

L. D. B. P.

DISQVISITIO ANTIQVARIA

De

TALISMANIBUS,

SUB PRAESIDIO

M. VAL. ERNESTI LOESCHERI,

Philosoph. Facult. Adjuncti

Studio atqve opera

JO. SIGISMUNDI KOBLIGI,

Ruthena Silesii

instituta

*In Illustri propter Albim Academia,
d. 13. Mart. An. c. 16. 1116.*

Fig I



Fig II



VVITTEBERGAE,

Litteris CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



J. 45.



DISPOSITIO ANTIQVARIA

TALISMANIBUS

SUB PRAESIDIO

M. VAL. ERNESTI FORSCHERI,

Philologi Facult. Adjuncti

Studio ac Typo

JO. SIGISMUNDI KÖPPLICI

Receptoris

in

Leipzigae

apud



WITTENBERGAE

apud Christianum Schönermannum, Acad. Typ.





TALISMANUM Historiam explicaturus, originemque eorum ex recondita antiquitate petiturus, quod bene feliciterque divinis auspiciis eveniat, nullum invenio scriptorem, quem in ancipiti hoc molimine sequar, cujusque fundamentis in-

nitur, atque ad potiora securus contendam. Non me latet, celebrem Argentoratensis Academiae Professore, *Julium Reicheltum* edidisse anno 1674. de Amuletis pereruditam commentationem, verum cum de Amuletis generatim agat, nec adeo in antiquitate ac Historia, quam natura eorum exponenda laboret, parum inde commodi in nostros conatus redundat; longe vero minus ex *Chrestmario*, *Bartholino*, *Erasto*, *Wolffo*, & aliis, qui de Amuletis physica, aut medica methodo commentati sunt. Quo magis doleo, *Jac. Gaffarellum* eum, quem de Talismanibus in *Curiosit. inauditis* promiserat, librum non edidisse, fidemque adstrictam non liberasse: vereor tamen, ne pro sua consuetudine ad magicas potius superstitiones, quam antiquitatem Talismanum illustrandam operas contulisset. Quicquid igitur hujus argumenti, vel ipse veterum scripta evolvendo, & antiqua monumenta lustrando observavi, vel nostra ætate traditum ab aliis est, quod memoriam meam non fugiat, breviter, uno velut fasce, complectar, ac percensebo.

II. Ordinar ab ipso *Talisanum* vocabulo, cujus illustrandi gratia dum varios auctores evolvo, ita eos inter se pugnare animadverto, ut difficilem rem suis disceptationibus etiam difficiliorem reddant. Plerisque Arabicum nomen videtur, qui *Jos. Scaligerum Epist. CXIX. & CLXXX.* sequuntur: alii cum *Hottingero* Rabbiorum scri-

TALISM.
NOMEN.

pta curatius evolventes, pro Chaldaico habent. Istud extra controversiam est, siue Arabicum, siue Chaldaicum sit, male Talismanes appellari, qui Talismæ rectius, aut Tilsæ dicerentur. Nam a Chaldaico טלם imago, טלם חיות *Talimoth*, σοιχεῖα illa appellantur, *Buxtorf. Lex. Thalm. p. 879.* Arabice vero a تلسم *Tilsam*, imago derivatur تلسمات *Tilsamat*, *Giggeus Thes. Arab.* Sequimur tamen *Scaligeri*, *Seldeni*, ac *Liceti* exempla, & cum iis Talismanum nomen, doctorum sermonibus pervulgatum, lubentius retinemus, addita etiam ad κακοφωνία vitandam terminatione, quam ut Talismæ vocabulo cum *Hottingero* utamur.

ORIGO. III. In origines vocis istius inquirere permultum refert: Eas ab Hebræis vocabulis הלט *aries* & שמש *Sol* derivat *R. Jebuda Muscato apud Buxtorf. l. c.* quia plerumque Sole in arietis signo existente conficiuntur, quam etymologiam merito ridet *Hottingerus Lib. I. Hist. Or. p. 188.* Plerique cum *Scaligero*, *Giggeo*, *Seldeno*, Arabicos natales illi adscribunt, quos etiam sequitur *Hottingerus*; sed ille in *Smeg. Orient. Lib. I. p. 91.* δειτερας Φεγντιδας profert, & a Chaldæo-Samaritica radice טלם, *create, facere* Talismanes deducit. Magna illorū auctoritas est, qui a Græco vocabulo τέλεσμα, vel διποτέλεσμα, levi immutatione, nec orientis incolis insueta, eam arcessunt: placuit etiam ex Hebræis illa sententia *Majemonidi Comm. in Masseches Pesachim cap. 4.* & probari videtur *Celeberr. Pfeiffero Dub. Vexat. p. 179.* & *Gl. Salmasio ad Histor. Aug. p. 360.* Nolim quidem *Buxtorfii* rationes sequi, qui a voce διποτέλεσμα, quod effectum stellarum apud *Manilium* notare dicit, Talismanes repetit: sed a voce τέλεσμα, quæ effectum mysticum atque occultum nonnunquam designat, vocem istam exortam, censeo: τέλεσμα enim mysteria dicuntur, apud *Platonem Lib. VII. de Republ.* & τελεστικόν *Plutarcho* idem est,

est, ac mysticum: Talismanibus autem occultæ opera-
tiones adscribebantur. Equidem Apollonii Thyanæi Ta-
lismanes a *Justino* τελέσματα dicuntur *Resp. ad Orthodoxos*
XXIV: εἰ θεός ἴσῃ δημιουργός, πῶς τὰ Ἀπολλωνίῃς τελέσματα ἐν τοῖς
μέγροι τῆς κτίσεως δύνανται. In quo & sequentibus Martyris
locis *Job. Langi* interpretis non leve παρέγραμα est, qui
τελέσματα ubique per effectus, sive miracula reddit: per-
quam enim manifestum est, amuleta & monumenta
magica ab Apollonio confecta intelligi, ex sequentibus
verbis, ubi Justinus quærit: cur Dominus Apollonii
τελέσματα non everterit, dæmonum autem statuas ora-
cula reddentes pessumdederit.

IV. Perfacile intellectu est ex iis, quæ diximus, Tali- SIGNIFI-
smanes triplici significatione venire: Nam apud Rabbi- CATIO.
nos & Arabes cujuscunqve generis amuleta denotant:
Secunda, eaqve strictiori significatione designant istud
amuletorum genus, quod ex Astrologorum regulis ad
influxus astrorum conficitur: Tertia deniqve, & strictif-
sima apud Philologos & Antiquarios recentiores veni-
unt, designantqve numos veteres & gemmas, paucaqve
alia antiquitatis monumenta, quæ Astrologicis atqve
Magicis characteribus signata sunt. Pleriqve amuleto,
ut laxiori vocabulo, Talismanes contineri, existimant,
sed repugnat *Helmontius Opp. p. 386.* qui amuleta licita &
naturæ viribus operantia, Talismanes autem illicitos &
superstitiosos esse, contendit. Turcos vero sacerdotibus,
qui in conficiendis amuletis occupantur, Talismano-
rum nomen tribuere, auctor est *Leonclavius Hist. Muselm.*
p. 36. & Waddingus in Annal. Minor. an. 1342. n. 10.

V. Non desunt alia vocabula, quæ rem istam expli-
cent: Animadvertimus σοιχεῖα ab antiquis & recentiori-
bus, ut *Cedreno & Jos. Scaligero*, dicta, fortassis ab insculptis
literarum notis, nam σοιχεῖα apud Aristotelem aliosque
inter-

interdum literas significant. Hinc *σοιχεῖν* apud *Tzetzem*
in Chiliad. p. 37. Talismanes conficere, & *σοιχεῖν* *αλιπὸς* a-
pud *Ptolemaeum* Talismanum artificem designat. Parum
abest, quin credam, Paulum *Coloss. II. 8.* ad Magicos cha-
racteres & superstitiones respexisse, ubi jubet, ut a Philo-
sophia & *σοιχείοις τῶν νόστων* Colossenses sibi caveant: nam
magicæ Philosophiæ magnum eo tempore studium fu-
isse, negari non potest. *H.C. Agrippa* novo nomine sacra,
pentacula appellat amuleta characteribus imaginibusque
signata *Lib. IV. Occ. Philos. p. 535.* & *signacula Lib. III. p. 394.*
ac figilla Planetarum passim. Judæi *סגולת דוד* *scutum David*
appellant Talismanem, *vid. Seldenus Synt. I. de Diis Syr. p. 116.*

STUDIUM

VI. Nimis prolixum foret, omnia amuletorum ge-
nera stylo exsequi: nos solos Talismanes tertio ac stri-
ctissimo significatu dictos, præcipue numarios, lustrabi-
mus. Nec ab isto instituto semovemur censura *Jouberti*,
qui in *Scientia Num. p. 132.* contendit, Talismanes non ad
numariam scientiam pertinere, sed ad curiositates illas,
quas Christianum detestari satius sit. Quæ, si de ratione
eos conficiendi, vel usurpandi dixit, recte omnino dixit,
secus vero, si de studio eos explicandi, & antiquitates in
illis reconditas eruendi locutus est. Prorsus enim cum
J. Seldeno Synt. I. de Diis Syris p. 119. sentimus, in Talismani-
bus haud pauca, quæ non solum vulgo, verum & multis,
qui literis nomina dederunt, satis recondita sint, inveni-
ri. Equidem *Jos. Scaliger* omnem propemodum, qui in
eorum explicacione versatur, laborem, supervacaneum
esse, existimat *Epist. CXIX. p. 286. Ea nemo intelligit, nisi qui fa-
cienda curavit: & frustra illis interpretandis opera datur.* Ve-
rum pace magni literarum principis affirmavero, & pos-
se Talismanes diligenti investigatione explicari, & istud
explicandi studium non inutile futurum. Satis enim do-
cuerunt suo exemplo *Hottingerus & Baudelotius*, posse ali-
quos

quos eorum, etiam difficillimos explicari; etsi non diffitear, arduam rem esse, ac reconditæ antiquitatis, Hieroglyphicorum & Astrologicorum characterum haud proletariam cognitionem desiderare.

VII. Sunt igitur Talismanes reliquiarum antiquitatum, superstitionarum metallo præsertim, vel gemmis expressarum; nam *Scaligeri* descriptio per imagines ad constellationes factas *Epist. p. 286.* huic negotio apta non est. Ejusmodi Antiquitatum quatuor propemodum genera supersunt: Primum Numorum est, tam Græcorum, quam Arabicorum: alterum Gemmarum & annulorum, tertium lapidum, sive inscriptionum, quartum laminarum & instrumentorum veterum. *Baudelotius p. 412.* dividit Talismanes in Astronomicos, magicos & mixtos, potuisset etiam chymicos addere: nec inepte distinguerentur in *verbales, figuratos & mixtos.* De ratione veterum eos conficiendi *Scaliger p. 445. & Hottingerus p. 190.* consulantur, quorum uterque, certum siderum positum observari soluisse, affirmat.

VIII. Ambigua admodum controversia est, quis Talismanum auctor fuerit? quidam pro integris nationibus pugnant, alii peculiaribus auctoribus adscribunt. *Scaliger* Chaldæis Magis tribuit *Epist. p. 377,* quam sententiam amplecti videtur *Hottingerus Smegm. Or. p. 191.* Potissimum vero Sabæos, sive Zabios, Magiæ & superstitionum omnium studiosissimos, ut a *Scaligero, Hottingero, Majore, Pocockio & Huetio* describuntur, Talismanum auctores facit *Majemonides Comm. in Avod. Zarab. Cap. 4. & in More Nevoch. Part. I. c. 63. qvi Part. III. c. 29.* Jbn Vaschiam Sabæum arte Talismanes conficiendi clarum recenset, ut *Hottingerus* refert. *Cesar Baudelotius Lib. de Util. Itiner. p. 386.* Aegyptiis inventionem τῶν σοχηίων vindicat, genti, quæ superstitiosa quælibet in deliciis habebat. Poterit

INVENTORES.

rit facto discrimine hæc controversia solvi: Talismanes, qui characteribus & figuris monstrosis signati sunt, Aegyptios auctores agnoscunt, illi vero, qui vocabulis integrisque sententiis constant, Chaldaeos. Non concedendum vero est *A. Kirchero* & *C. Baudelotio*, Patriarchas, vel auctores Talismanum fuisse, vel eorum studiosos, quod *T. 1. Oedip. p. 520. & Lib. de Util. Itin. p. 385.* postulant.

IX. Pervulgata sententia est, Apollonium Thyanaeum, celebrem Sec. C. I. Magum Talismanes invenisse: Ita sentiunt Arabes plerique apud *Leonclavium*, *Seldenum* & *Hottingerum l. c.* sed illi nomen ejus misere corrumpunt: Polonum enim, vel Amulonum cum Elmacino vocant: eidem sententiæ favere videtur *Cl. Reicheltus*, quem eo nomine redarguit *C. Baudelotius p. 384.* & Licetum consentientem facit, in cujus tamen libris studiose perquisitis opinionem illam invenire non potui: Equidem Zoroastrum ac Thetelem, quos Apollonio ætate longe superiores faciunt, Talismanes conficere docuisse, ex *Camillo Baldo* idem *Lib. de Anulis Vet. p. 97.* recenset: Jarcham Apollonii præceptorem. *p. 98.* Hermetem Trismegistum quoque σοιχηα confecisse, *Elmacino Histor. Arab. p. 21.* refert: unde apparet, ea Apollonium auctorem non agnoscere. Neque tamen diffitemur, eum alterum Talismanum parentem dici posse, multos enim publicos & privatos confecit, ut Arabes passim, elegantissime vero *Jo. Tzetzes Chil. III. c. LX. p. 37.* & *Justinus Martyr Opp. p. 405.* enarrant, qui Apollonii τάλισματα, non Magica, sed naturalia fuisse, affirmat.

I. NUMI X. Primam Talismanum veterum classem ex numis
TALISM. constituimus. Extant autem ejus generis Hebræi, Græci & Arabici. Hebraicum aureum Francofurti se vidisse, narrat *J. H. Hottingerus in Cippiis Hebr. p. 129.* in cu-
jus

ius uno latere vocabula: *Effenon, Chad, Heloy, Saday, San Jacob*, fortassis ex Hebraicis שרי אלהי קרוש depravata in altero: *vicit Leo de tribu Juda, Radix David*: utrinque in medio characteres Samaritani videbantur: A Judæo quodam Hispano forsitan confectus, ut victoriam gestanti conciliaret, ut est illa natio ejusmodi superstitionum mire curiosa. Arabici frequentiores sunt, quorum alii solum vocabula quædam Arabica, alii figuras etiam exhibent. Priorum tres aureos ex Cimeliario Palatino *Hottingerus Cipp. p. 167.* recenset, in quorum antica literis Arabicis Africani characteris legitur: *Non est Deus, nisi unicus, qui socium non habet*, in postica: *Mubammed Apostolus Dei*. Quibus alium adjungit, antica parum diversa, postica vero exhibente verba: *Deus unicus, Deus æternus, neque gignit, neque gignitur*, & argenteum *p. 169.* simili antica, postica vero Suratam Alcorani CXII. continente. Ex posteriori ordine duos recenset *Scaliger. Epist. CCXVI. p. 445. 447.* Quorum unus *Freherianus* in antica solem cum caniculæ fidere, in postica literas Arabicas exhibet, alter *Gruterianus* est. Hos numos recte affirmat *Scaliger*, non veros numos fuisse, nec in commerciis locum habuisse, nam ad magicas præstigias usurpabantur: De prioribus *Hottingero* assensum præbere non possum: neque enim omnes istos Arabum numos pro Talismanibus habeo, & plerosque cultus divini gratia usurpatos existimo.

XI. Græci vero, ut elegantissimi, ita cura nostra dignissimi sunt: Eorum tres ex Museo Bordehieriano *Casaubonus* ad *Scaligerum* misit, *Epist. p. 286.* plures possedit *Cæs. Baronius*, memorante *P. Gassendo in vita Peir. p. 16.* plerumque a *Basilidianis*, quorum multæ etiam gemmæ extant, confectos. Duos rariores recenset *Cæs. Baude-*

lotius p. 394. quorum unus in antica protomen Cæsaris

B

cum

cum inscriptione ΚΑΑΤΔΙΟΣ, in postica ranam cum literis LI. Alterius figura hæc est, *Fig. I.*



Fig I



Fig II



Posidet Præses argenteum bracteatum globis & crucibus multis, stella etiam culminante insignem, a Græco quodam mediæ ævi forsitan confectum, *Fig. II.*

XII. Ad hanc classem spectant numi, in quibus  Pentagonum Antiochi Soteris ex literiis ΤΠΕΙΑ compositum observatur: nonnulli ipsos etiam numos, in quibus monogramma  habetur huc revocant: utrum-

que enim ad Talismanum rationes reducit *H. C. Agrippa Lib. III. Phil. Occ. p. 394.* Numos chemicos, signis chemicis ornatos huc referentibus refragari nollem, de quibus *Cl. Reyberus* pererudite egit. Ultro autem huic classi accedunt recentiores quidam numi Mansfeldici & Anglicani, plerumque continentes sententiam: *Pertransibat per medium illorum*, quibus hominem ab omnium vulnerum genere immunem præstari posse, vulgus fabulatur: Numos vero Ithyphallicos cum Talismanibus nihil, vel parum commercii habere, arbitror.

II. INSCRIPTIONES.

XIII. Progredimur ad secundam Classem, in qua principatum obtinent inscriptiones Talismanicæ, sive ad pro-

ad producendos occulta ratione effectus compositæ,
quales sunt VENERI FISICAE sacrata apud *Reinesium*
Syntagm. p. 42. & JOVI VINDICI *p. 47.* quæ arre, mecha-
nica, magicam dicere voluerunt, confecta legitur: Quor-
sum refero inscriptionem, in qua DIIS. SANCTIS. HER-
CUL. LIBERO. SILVANO. in circulum scriptum legi-
tur, inter marmora Seldeniana, & a *Th. Reinesio p. 149.* pro-
scuto habetur. Inscriptiones votivas, quarum insignis
copia est, maximam partem huc pertinere, haud diffi-
cile intellectu est. Aegyptiorum, quibus magna Talis-
manum pars originem debet, reliquæ nobiles extant,
Mensa Isiaca P. Bembi, edita a Laur. Pignorio & Tabula
marmorea Isiaca, quæ in Museo Calceolariano p. 292. extat.
Has enim non leges Aegyptiorum, ut *M. Guilandinus* e-
xistimavit, sed Mysteria magica continere Pignorius a-
bunde demonstravit, & aves angvesque, cum caniculæ
astro in Tabulis his extantes indicant: quæ cum in Nu-
mis etiam & Gemmis Talismanicis observentur, ma-
gnam eorum cognationem luculenter ostendunt.

XIV. Statuarum Talismanicarum crebra apud ve-
teres mentio fit: Sabæi aureas & argenteas ad horosco-
pum conficiebant, quæ mala arcerent, & oracula redde-
rent, *Seldenus Synt. I p. 103.* Hinc orta est, an Teraphim
& Talisman *ἰσοδυναμῶν* fuerint. Arabes crocodilorum
& scorpiorum imagines conficiebant, quibus ista ani-
malia fugabant, *Selden. p. 106. Hotting. Hist. Or. p. 191. seq.* Et-
iam Palladium huc referunt, quod a Mathematico quo-
dam Astrologica arte confectum, apud *Tzetzem* legimus,
& caput Magicum Sylvestri II. *Selden. p. 109.* atque Alberti
M. Pittacia etiam, sive schedulæ Talismanicæ ad hanc
classsem pertinent: Eæ apud Hebræos per frequentes e-
rant certisque characteribus notatæ valetudinis, vel fin-
gularis felicitatis causa collo annexæ gerebantur: *Maje-*

monid. de Sabb. c. 19. Agrippa lib. III. de Occ. Phil. p. 340. Arabicae complures extant: Militaris Pittacii mentionem facit Leonclavius Hist. Muselm. p. 36. ex Museo Beckiano, cui inscriptum: Prodeat de vagina gladius, ut Aly Dulsikar. Pleraque Alcorani sententias quasdam continent: Talis est Talisman ille universalis, quem a Vandalo acceptum explicat Hottingerus Cipp. p. 169. Vid. A. Kircherum Tom. II. Oedip. class. 5. De Latinis pittaciiis, quibus ABRACADABRA inscriptum, agit Seldenus p. 118. Agrippa Occ. Phil. L. III. p. 339.

III. GEM-
MAE.

XV. Tertiam Classem constituunt gemmae, quo nomine apud Antiquarios omnes lapides minores sculpti veniunt: sed cum pleraeque Onychinae & Achatinae sint, Onyches, Achates, & camei appellantur, ut ex Musci Calceolar. p. 212. & Gassendi vit. Peiresc. p. 109. seq. addiscimus. Talismanem ejus generis Hebraicum possedit Hottingerus, filicem nempe, cui Psalmus LXVII. insculptus erat, addito sigillo Salomonis magico Cipp. p. 129. Extat alius, in cuius centro tres pisces decussatim positi, circumscriptis verbis *בר משה שלט* legitur. Arabicos duos ex Cimeliario Palatino affert Hottingerus p. 166. in quorum utroque stella, additis in uno vocibus Arabicis: *Deus custodit quem vult*, in altero: *Deus custodit, qui purum se praebet*. Graecos Talismanes gemmarios infinitos extare Scaliger Ep. 447. forsitan nimis large pronuntiat. Plerique Basilidiani sunt, figuras vocesque monstrosas continententes, quales C. Baronius T. II. Annal. & in Add. ad Tom. XI. & C. Baudelotius recensent, quorum plerique figuram sequentem exhibent. Fig. III.

Fig III



Fig IV



XVI. Ad Gemmas merito reducimus annulos veteres gemmis signatis instructos, in quorum censu apud *Gorlaum & Licetum* multos Talismanes deprehendimus, quos in Astrologicos & magicos dispesco. Ad magicos pertinet ille, qui caput hominis barbatur corpori muris, (aut, ut nos existimamus, delphinis, nam tridentem tenet) appositum signat, apud *Gorlaum Dactyl. n. 46.* & *Licetum de Annulis c. XXII. p. 115.* & alius apud *Licetum* monstrum capite equino ramum oleæ tenente, pedibus & cauda struthionis, corpore vero caput hominis barbati referente, signant. Nolim vero adstipulari *Liceto*, qui eos etiam veterum annulos, in quibus Hercules, Apollo, Venus, Mercurius, aut eorum capita sculpta sunt, pro Talismanicis habet: iis enim veteres ad signandum usos, neminem antiquitati litantem fugit. Astrologici vero annuli, de quibus *Licetus cap. XXI. integro* differit, sequentes sunt apud *Gorlaum n. 194.* & *Licetum p. 116.* lunam cornutam stellis circumdatam exhibens, & elegantissimus apud *Gorlaum n. 10.* solem in medio cum stella culminante & duabus ad latera appositis, signisque ♂ ♀ & ♃ in pala signans, circa quam stellæ plures, ab uno latere Leonis, ab altero Cancris signum. *vid. Fig. IV.* Ejusdem ordinis est annulus, in quo scorpius horoscopus, Leo culminans videtur *num. 4.* in quo septem Planetæ cum horoscopo Scorpionis, *num. 104.* in quo signa ♂ ♃ ♀ ♃ ♃. *num. 140.* denique ille, in quo duodecim signa cum planetis, *num. 144.* Reducendi etiã ad hanc classẽ sunt annuli mystici octoangulares, de quibus videatur *Cas. Baudelotius T. I. de Util. Itin. p. 232.* & annuli Magici apud *Lucianum in Euxais p. 651. seqq.* & *Licetum de Ann. c. XXII.*

XVII. Superest quarta classis, in quam residuas antiquitates superstitiosas conjicimus. Tenent inter eas potiore locum laminæ Talismanicæ, olim magico

IV. LAMINAE.

vocabulo Iynges dictæ, apud *Synesium Lib. ωε' ε'υ'π'ν.* I-
psiplices apud *Festum Lib. IX. de Verb. signif.* Hecatici Stro-
phali in *Orac. Zoroastr. c. X.* laminæ Pfyllorum & Marfo-
rum, *Arnob. Lib. II. adv. Gentes p. 66.* Hujus exempli sunt
laminæ Judæorum Hebraicis literis & angelorum figil-
lis signatæ, in quibus explicandis multus est *H.C. Agrip-
pa Lib. II. III. & IV. de occ. Philos.* neque tamen idcirco in
sola Talismanum illustratione versatur, ut *Baudelotius*
censet: eum ex Hebraico *MSTO* veteri omnia fere
plagio furrripuisse, docet *Buxtorfius Lex. Thalm. p. 879.* A-
rabicæ hujus generis laminæ interdum antiquitatum
consultis obveniunt: auream exhibet *Hottingerus Cipp.
p. 167.* in qua varia Dei nomina ordine quadrato dispo-
ta, adjecta sententia: *ille vero excelsus est & magnus, neque
afficientur damno, qui hæc custodiunt.* Latinã vero laminam
ex Marcello ad leniendum coli dolorem elaboratam,
cui *L*MO*RIA* ter inscriptum est. *Licet. p. 121.* recenset.

XVIII. Ejusdem census sunt Manus votivæ extensis
tribus digitis ex metallo formatae, characteribusque
ignotis signatæ, Græcæ pariter & Aegyptiacæ, quas *J.P.
Thomassinus, L. Pignorius, Oct. Rossius, & Mich. Ang. Causeus*
collegerunt, ac illustrarunt. Acinacem & gladios Ara-
bicis characteribus notatos, quos in Cimeliarchio Pala-
tino extitisse *Hottingerus Cipp. p. 175.* refert, ad eundem
ordinem revocamus: ut & Persicum poculum Fabri
Medici Eslingensis, cui ter inscriptum est: *benedictum sit,
faustum sit. ib. p. 176.* Panthea, quo nomine recentiores
antiquarii designant statuas veteres multos Deos, vel
Deas uno corpore, adjectis tamen diversis symbolis
notantes, ad Astrologicas & magicas superstitiones, at-
que adeo ad Talismanes spectare, judicamus, ea maxi-
me, quæ Jovem, Martem, Venerem, aliosque Planetas
exhibent. Non erat igitur justa ratio *C. Baudelotio l.c. p. 416.*

A. Kir-

A Kircherum reprehendendi, quod *T. I. Oedip. p. 520.* Harpocrates Talismanibus adnumeret, quippe cum istae statuæ, fatente etiam Baudelotio, ex Pantheorum numero sint.

XIX. Nolim omnino fidem adhibere *C. Baudelotio* **COGNATA.**
qui lib. de util. Itin. p. 386. præbia veterum Romanorum Talismanes fuisse affirmat; fateor tamen, iis affinia fuisse. Præbia enim illa, sive fascinos, quos puerorum collis remedii loco appendebant, characteribus signatos fuisse, ex *Pignorio & Licero*, qui de iis commentati sunt, nondum didici. Idem *Baudelotius* annulos Samothracum Talismanes fuisse arbitratur, sed illos non characteribus signatos fuisse, sed virtute physica polluisse, *Licetus de Annulis p. 73.* nos docet. Teraphim vero, quorum *Gen. XXXI, 19.* mentio fit, Talismanibus quidem cognatos fuisse, existimo, ut vero *Hottingero Histor. Orient. p. 196. C. Baudelotio. l. c. p. 385.* aliisque adstipuler, qui eosdem cum Talismanibus faciunt, nondum animum inducere potui.

XX. In explicandis vero illis antiquitatis superstitionis reliquiis, non diffiteor aquam doctis hæerere, gravis-**CHARACTERES.**
simisque difficultatibus omnia involuta esse, quæ ad duo capita, vocabula nempe & imagines in Talismanibus occurrentes reduci possunt. Vocabula pleraque ad sacrorum nominum imitationem conficta sunt, ut $\text{I}\Omega$ apud *Scaligerum p. 113.* $\text{A}\Theta\Omega\text{N}\text{H}$ apud *Baudelotium p. 293.* quæ ab Hæbræis יה & ארוני derivata sunt. Nihil vero frequentius in Græcis Talismanibus occurrit vocabulo $\text{ABPA}\Sigma\text{ΑΣ}$, vel $\text{ABPA}\Sigma\text{A}\Sigma$, quod nomen Dei mysticum apud Basilidianos & Valentinianos hæreticos fuisse, *Epiphanius Her. XXIV. & Irenæus Lib. I. Her. c. 23.* commemorant: Arithmeticum vero esse, & numerum 365. dierum anni designare, tradunt *P. Gassendus vit. Peir. p. 16. Seldenus, l. c. p. 118. & Vossius Lib. I. de Idolol. p. 62.* Unde solem per illud intelligi, recte auguratur *Hieronymus adv. Lucif.* Reliquæ
ro.

QX TH 1157

voces, ut $\Theta\epsilon\pi\epsilon\iota\tau$ $\Theta\epsilon\pi\omega$ apud Scaligerum p. 379. $\Theta\phi\eta\phi$, quod
auxilium vel custodiam notare videtur, apud *Baudelotium*
p. 293. & alia in Græcis numis atque gemmis ut plu-
rimum ex lingua & sacris Aegyptiis petita sunt, in Ara-
bicis vero ex Alcorano.

XXI. Imagines in Talismanibus expressæ Astrologicae,
magicae, aut mysticae sunt. Stellae in illis saepissime de-
prehendimus, ut argumento satis certo esse possit, nu-
mos & gemmas illas, in quibus stellae observantur, pro
Talismanicis esse habendas. Plerumque designant
caniculam, qua cum sole oriente Talismanes cudi sole-
bant. Animalium icones notant contra istud genus
confectos esse Talismanes, ita scorpiones & ranæ Talif-
manes contra insecta usurpandos designant: Saepissime
vero occurrit figura illa Dei mali Basilidani, capite gal-
li, vel accipitris, manibus pugionem, clypeum, coro-
nam, vel scuticam tenens, & in serpentes pedum loco
desinens, ut apud *Baronium*, *Licetum* & *Baudelotium* prostat.
Ea ex Aegyptiis & magicis sacris petita est: nam in Zoro-
astrinis & Aegyptiacis hieroglyphicis accipitrum
caput Deo tribuitur: Serpentes vero in antiquitatibus
Aegypt. divinitatis signum sunt, *vid. Mus. Calceol. p. 295. sq.* In
Velsarianis apud *Scaligerum* p. 378. observatur similis figura,
sed capite canino, strigile, guttum balnearium, spicam, vel
spiculum gerens, quam caput Anubidis *Scaliger* appellat.


XXII. De usu Talismanum disputare, & an licitus sit, disquirere,
hujus fori non est: istud solum notamus, quosdam nostrae ætatis per-
eruditos homines multum illis tribuere: inter quos eminent *C. Baudelotius*,
qui *T. II. de Util. Itin. p. 396.* Reicheltum omnes Talismanes, ut
Magicos repudiantem, impugnat, & a p. 398. ad p. 405. contendit, illos
astronomica & physica virtute pollere, ac per sympathiam operari,
firmandæque opinionis sua gratia *T. Campanellam* & *P. Petium* in
testimonium vocat, quibus *Tb. Aquinatem*, *Pamcelsum*, & *Agrippam*
addere potuisset. $\text{Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.}$

DEO. O. M. G.

VD 77

ht





B.I.G.

Farbkarte #13

Q. K. 358, 21.

X 186 2238

II h
1151

Q. D. B. P.
 DISQVISITIO ANTIQVARIA
 De
TALISMANIBUS,
 SUB PRAESIDIO
 M. VAL. ERNESTI LOESCHERI,
 Philosoph. Facult. Adjuncti
 Studio atqve opera
JO. SIGISMUNDI KOBLIGI,
 Ruthena Silesii
 instituta

*In Illustri propter Albim Academia,
 d. 13, Mart. An. c. 1711.*

Fig I



Fig II



VVITTEBERGAE,
 Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

BIBLIOTHECA
 PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE (SALE)

